Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Exaudi me domine pro gentium salute, exaudi me pro iudeorum conuersione. Ut discat populus iste qui nunc te persequitur in me, quia tu es dominus deus israel, qui propter me hominem formasti, et cum per me reformasti. Et tu cor eorum iterum conuertisti per conuersos, quia per tui spiritus gratiam eos ab errore sue perfidie conuertes. Ignis domini de celo cadit qui holocaustum consumit, quia spiritus sanctus omne mysterium passionis et resurrectionis sua uirtute peragit. Christus enim ait apostolus per spiritum sanctum semetipsum optulit immaculatum deo. Ignis ligna uorat, cum spiritus sancti gratia mysterium omne crucis dedicat. Lapides uorat, cum per tolerantiam passionis Christi humani generis mortem subleuat. Puluerem quoque uorat, cum ipsam Christi mortem, uitam mundi esse donat. Ignis aquam que erat in aqueductu lambit, dum spiritus sanctus morte Christi auctorem mortis expellit. Omnis populus in faciem suam cadit, quia omnis electorum multitudo ab initio usque in finem seculi filio dei gratias agit. Dominus Christus ipse est deus gentium, dominus Christus ipse est deus iudeorum, qui per eius passionis mysterium in sortem transeunt electorum. Helias prophetas baal apprehendi iubet, quia in conuersione synagoge Christus omnes ueteris legis doctores remouet. Ne unus quidem ex eis fugit, quia nullus ex conuersa synagoga superit, qui traditiones pharisaicas ultra obseruare uelit. Helias prophetas baal ad torrentem cison ducit et ibi eos interficit, cum Christus duriciam populi iudaici sancti spiritus gratia emollit. Cison enim impegerunt me leticia uel duricia dicitur, per que cecitas populi iudaici exprimitur, que in fine per gratiam Christi adimitur. Helias achab dicit, cum Christus in fine cecitatem populi iudaici per gratiam sancti spiritus instruit. Ascende per fidem, spem et dilectionem; comede et bibe sacramenta corporis et sanguinis mei, uel comede in spiritali refectione ueteris testamenti, bibe suauitatem noui testamenti, uel comede per actionem, bibe per contemplationem. Quia sonus est multe pluuie, uel in omnium gentium conuersione, uel in extremi iudicii iam iamque imminenti perturbatione. Ascendit achab ut comedat et bibat, cum populus iudaicus in fine tandem resipiscit, ut esuriem et sitim suam recognoscere incipiat, eaque dei et sui cognitione reficiatur. SEQUITUR.

Ascendit helias in uerticem carmeli et pronus in terram posuit faciem inter genua.

Dominus noster Ihesus Christus qui per Heliam qui interpretatur dominus deus non inconuenienter designatur, in uerticem carmeli ascendit, quando ex precepto patris mundum saluaturus in uterum uirginis matris descendit, ex cuius carne tenera humanitatis ueste indueretur, in qua cum hoste antiquo mirabili postea conflictu congrederetur. Carmelus enim tenellus interpretatur. Et quis tenellus iste, nisi idem mediator dei et hominum, fortis in diuinitate, tenellus in humanitate. Ipse est enim tenellus ille de quo dicitur: Dauid sedens in cathedra sapientissimus inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni uermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. Dauid enim [illegible] i. manu fortis noster Ihesus Christus, qui est speciosus forma pre filiis hominum, cum in cathedra dignitatis sue, sapientissimus inter tres sapientissimos patrem scilicet et spiritum sanctum sedet, cum sceptro maiestatis sue cum eodem patre et spiritu sancto omnia continet, omnia regit, quasi tenerrimus ligni uermiculus nostri causa est factus. Nobile lignum illud de quo nobilissimus et dulcissimus ille uermiculus ascendit, nobilem illam uirgam aaron beatissimam dominam nostram dei genitricem nobiliter pretendit, quia sicut uermiculus de ligno nascitur sine alterius uermiculi commixtione, ita illa eundem redemptorem nostrum sine omni humana concepit et peperit contagione. Sed ne forte incongruum alicui uideatur quod uermiculo eum comparamus, quod ipse de se testatur audiamus. Ego autem inquit uermis sum et non homo, obprobrium hominum